

## Circa le vesti corali e le insegne dei Capitoli dei Canonici

---

CONGREGATIO PRO CLERICIS, prot. n. 180217/I

Lettera del 18 marzo 1987 indirizzata al Cardinale Ugo Poletti,  
Presidente della Conferenza Episcopale Italiana

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Ut Eminentiae Tuae iam cognitum est, haec Congregatio pro Clericis, ex mandato Superioris Auctoritatis et post auditas sententias Conferentiarum Episcoporum ritus Latini, die 30 mensis Octobris anno 1970 nonnullas normas edidit spectantes ad vestes chorales, Canonorum Clericorum Beneficiariorum et Parochorum.

Plus quam tribus quinquenniis ab eo die iam elapsis, constat generatim Capitula occursum huius temporis prompte obtemperavisse hisce normis editis ad simpliciorum formam reddendas chorales vestes iuxta mentem Concilii Vaticani II et praescripta Constitutionis de Sacra Liturgia « Sacrosanctum Concilium ». Capitula tamen non defuerunt, quae, memoratis praescriptionibus plane neglectis, perrexerunt vestes et insignia illegitime adhibere, quae ad Canonicos non pertinent.

Spectatis difformibus his agendi rationibus, quae pro dolor adhuc animadvertuntur, hoc Dicasterium, dum hos abusus arbitrarie inductos deplorat, simul Ordinarios Dioecesanos invitat, ut sedulo invigilent rectae atque ordinatae observantiae vigentium de hac re praescriptionum.

Quo autem clarius pateat vis atque sensus normarum, quae iam editae sunt, Congregatio pro Clericis opportunum duxit hac super materia iterum intervenire, scilicet:

1. Confirmat atque inculcat praescriptiones latas die 30 mensis Octobris 1970.

2. Sollicitat Capitula ad observantiam can. 506, § 2 C.I.C., quo praescribitur ut recognoscantur Statuta Capitulorum ac definiantur, attentis normis a Sancta Sede latis, Canonorum insignia.

3. Derogando praedictis normis, facultatem adhibendi mozetam violacei coloris loco mozetae nigrae vel cinerea concedet in singulis casibus iis Capitulis, quae de consensu Ordinarii loci eam postulaverint.

4. Declarat vestes chorales a canonicis adhiberi posse in ecclesia cathedrali tempore celebrationum liturgicarum; extra hanc sedem, id

licet iis Canonicis, quos Episcopus ad suam gerendam personam in quibusdam circumstantiis deputaverit.

5. Pariter declarat Canonicos, qui a Sancta Sede quodam honorario titulo aucti sint, insignia huius tituli propria, tamquam vestem choralem adhibere non posse.

Dum rogo Te, Eminentissime Domine, ut ea omnia, quae supra exposita sunt, significare velis Excellentissimis Membris istius Conferentiae Episcopalis, hac libenter utor opportunitate me omni quo par est obsequio profitendi

Eminentiae Tuae addictissimum

A. Card. INNOCENTI  
*Praefectus*

+ G. AGUSTONI  
*a secretis*